

AD
PROOEMIUM.

I.



Utor hujus constitutionis est Carolus V. Hispaniarum & Indorum Rex, & post mortem Maximiliani I. electus & coronatus Romanorum Imperator. Quibus populis ipse imperaverit, & quam latè ejus potestas se extenderit, illud tituli præmissi ostendunt. Fuit autem bonus Imperator 1. *ratione pietatis*, negotium, namque religionis maximò studiò tractari, & pacem inter dissidentes Imperii status per saluberrimam Sanctionem Passaviensem promoveri summoperè curavit. 2. *Ratione pacis civilis*; arma siquidem non sine parvis sumptibus movit erga externos hostes non tantum contra Turcam, sed etiam contra Franciscum I. perpetuum Reipubl. nostræ hostem, propterea, quòd ipse quidem in Collegio Electorali esset nominatus, ut Cæsar fieret: sed Carolus V. ipsi esset prælatus. Quod indignis modis tulit, ita ut, quomodo saltem potuerit, Imperatori Carolo, & toti Imperio multas molestias crearet. Quod odium eò processit, ut Franciscus I. non dubitaverit fœdus inire cum Turca, quòd eum concitaret contra Christianos; Sed tam indignò, & Regi Christianissimo, ut audit, minimè conveniente factò moti Imperator & Ordines Imperii eum in Comitibus Spirensibus Anno 1544. pro communi Christianorum hoste unà cum Turca declararunt. Et licet bellò intestinò religionis non parùm Germania fuerit afflicta, nihilominus, ut ego existimo, potiùs à quibusdam principibus contra Majestatem peccatum esse, Carolus V. statuit, ut ita potiùs istud crimen vindicare, quam repurgatam religionem tollere voluerit. Quamvis tanquam Romanæ Ecclesiæ defensor non potuerit aliter, quin ipse eam suis quoque armis contra Turbatores, uti tùm vocabantur, defenderet & tueretur. Imo si prudentiùs consilia fuissent suscepta, absolutam sibi potestatem, quam dubio procul ipse intendebat, in Germanos acquisivisset, juratâ Capitulatione nequicquam obstante, utpote qui arma subditorum timeret. 3.

Ra.